

nibus, quas corrasit. Prius ergo ipsi inter se conveniant, cumque suis transigant, & hunc characterem ex Scripturis demonstrent, antequam anathematis sui fulmen in nos conjiciant.

§. XXVI.

CAUSA MINISTRANS est *Presbyterium*, quod significat totum collegium Presbyterorum h. e. Ecclesiae ministrorum & seniorum, per quorum χειροτονίαν ordinabant pastores. In græca versione V. T. πρεσβύτερος I. *IN GENERE* accipitur pro eo, qui ætate est senior, ac respondet hebræo שֵׁנִי *Gen. XXVII, v. 1. Zach. VIII, v. 4.* Ita accipitur in N. T. *Job. VIII, v. 9. 1. Timoth. V, v. 1. 2. IN SPECIE* pro senioribus h. e. gubernatoribus populi Israëlitici. Sic LXX. illi viri honorati ac prudentes, quas Moses in politiae Israëliticæ gubernatione sibi adjunxit *Num. II, v. 24.* vocantur Seniores: Inde in historia evangelica Sacerdotibus, Pharisæis, & Scribis passim conjunguntur Seniores populi. *Matth. XXI, v. 23. XXVI, v. 3. Assessores Synedrii Matth. XV, v. 3. Marc. VII, v. 3. 3. PROPRIE* ministri ecclesiae dicuntur Seniores, quia vel senili prudentia alios antecellere debent, ac quia plerumque ex Senioribus deligebantur. *Dn. D. Balduin. in comment. ep. 1. Timoth. IV, pag. 290.* ait, ministros ecclesiae ideo Presbyteros dici, quod iste ordo hominum senili honore atque prudentia dignus sit. Non vero propter decrepitam senectutem & canitiem corporis: sed propter sapientiam ita nominantur Episcopi. *Ita in Jure Canonico. dist. 85. can. 6. Anacletus Epist. 2. ad Episcop. Italia. dist. ead. can. 8. Siricius Papa Himerio Tarraconensi Episcopo epist. 1. can. 11.*

§. XXVII.

In Ecclesia duplex fuit Presbyterorum officium: 1. *Timoth. V, v. 17.* Presbyteri, qui bene præsunt, duplici honore digni sunt,